504

B

278

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

504 B 278

HENRICI MOVTHAEN
UTRICIS

Un 504 B 278

RELIGIONIS LIBERTAS UNIONE DEFENSA.



KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK 'S GRAVENHAGE.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Typographeîo Chriſtophori Guyotij.
ANNO cIↃ. IↃ. c. I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Ordines Generales Belgij fœderati,

Ordines Hollandiæ cum cæteris ſpecialibus,

Mauritius Comes de Naſſau,

Henricus-Fredericus Comes de Naſſau,

Rex Galliarum,

Regina Angliæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Invictiſſimo Principi
D. MAURITIO *Comiti de Naſſau*
Religionis in Libertatem vindicatori.

PIERIVS menti calor incidit, ire per altum
Fama jubet Regumq́ue alti reverentia vultus:
Et pudor & pietas & veræ Relligionis
Unio me in dubiam conſcendere cogit arenam,
Et patriæ proceres Phœbeo intexere peplo
Fœdere quos fortuna uno conjunxit amoris.
Non divûm auxilium imploro; Chariſtius augur,
Virgoq́ue maſq́ue eadem, ter ternæ docta ſorores
Numina apud priſcos fuerunt veſtigia laudis,
Nunc ſordent: aptis conſiſtunt carmina nervis
Dummodó ſuppeditet vires qui trinus & unus.
Inclyte Dux patrijs per Chriſtum proſper in auſis
Arma togamq́ue inter, veſtro ſubnixa jugali,
Quæ mihi cunque fuat gracili ſub arundinis arte
Gloria, majori ſplendore exibit in orbem:
Sed miſer agnoſco glaucomam luminis uſum
Surripuiſſe mihi, ſopito hinc pectine chordæ
Imbelles craſſo metuunt tinnire ſuſurro.
Expue de priſcis quenquam Parnaſſia rupes
Vatibus, aut Orpheî de ruptis collige membris
Hebre animam corpuſq́ue unâ compage: quid inde?
Factus homo redivivus erit qui carmine fluctus
Euxini ſiſtat, vel Thracum mulceat urſos,
Arboribuſq́ue herbiſq́ue locum radicibus indat
Mutare & ſcopulis mutis dare ſigna novellæ
Lætitiæ, nervos cùm plectro pulſat eburno
Biſtonijſq́ue vagus recreatur cantibus Orpheus.

Ille lyræ Superis epos admirantibus aptat,
Tænarias ſedes & tartara reddit amœno
Verborum ſtrepitu fidibus parentia, donec
Mentitam Euridicen veramque amiſerit umbram:
Inter ſemideos habitus, nulli arte ſecundus
Tantaliam ſtitiſſe ſitim, revolubile ſaxum
Et raras Danai natis quoque dicitur urnas
Fixiſſe & ferias toto poſuiſſe Acheronte,
Ut caligantes fruerentur lumine mentes.
O diræ Ciconum matres! quæ talia divûm
Munera delicias hominum corrumpere tentant.
Præclaros etiam dictâ ſuper arte magiſtros
Atque alio atque alio morſu Libitina voravit;
Impetuoſam hyemem cytharâ placavit Arion,
Et cantu in varias mutavit Prothea formas,
Monſtra marina ſuo lenivit pectine, quorum
Portatus dorſo patrias remeavit ad oras.
Nobilis Amphion lapides teſtudine movit,
Thebarum in muros ſilices ſine viribus ullis
Condidit humanis vivoque ſedilia ſaxo.
Centaurus Chiron tumidas compeſcuit iras
Salſipotentis heri vel palleſcentis Averni,
Heroumque animos & magni pectora Achillis.
Orpheus in ſylvis, inter Delphinas Arion,
Amphion muros poſuit, ſed pectora Chiron.
O utinam hinc aliquis fungatur partibus îjſdem
Queîs ego, vel alius ſimili de cortice vates:
Sed fruſtror verbis, eſt immortale quod opto.
Ergó agedum Princeps minimi fomenta furoris
Accipe, & hæc qualis qualis mea tibia gratum
Portet opus, quoniam tantùm laudanda voluntas,
Poſt mihi muſarum veniat ſi ſeria dextrè
Et propior me Phœbus amet majora dabuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Ordines Generales Belgij fœderati.

HACTENVS *Heſperiæ ſævo colliſa duello*
Belgica funeſtis ſuppreſſa eſt caſibus, eià
Nunc lætos celebrate dies fortuna volatum
Tranſtulit, & niveis ſignate hoc tempus elenchis
Quîs pia Libertas, quîs Patria Belgica cordi
Veraq́ꝫ Relligio mens & ſibi conſcia recti,
Quælibet en latè caput inter nubila condit.
Belgica naufragium bello, ceu navis hiulca
Naufragium pelago paſſa eſt, ſed ſorte ſecundâ
Hæc atque hæc tandem ſummis erepta periclis.
Sicut, ubi in pelagum crebreſcunt orbita ſolis,
Diſcordes radij & ſpiſſæ ſine lumine nubes,
Et rubicunda ſoror Phœbi infeliciter orbis
Colligit ambages medios, cornuq́ꝫ ſiniſtrum
Exerit & triſtem ventorum annunciat horam;
Curarum ſtimulis medio qui eſt navita ponto
Pungitur, ancipiti mentem formidine preſſus:
At cum turbo rapax tempeſtatumq́ꝫ furentûm
Conjuncti famuli ventorumq́ꝫ ingruit horror
Æolio evecti quandò de carcere, ſortem
Fortunæ luget, mortemq́ꝫ inſtare tremiſcit,
Damna ratis laceræ percuſſorumq́ꝫ rudentûm
Damna gemit maliq́ꝫ ruinam & lintea rupta:
Sed cum forté freto rabidi ceſsère fragores

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Cœlorumque minæ, aut undæ cecidere tumentes
Spumaque laſſatis requievit fluctibus, æquor
Tranquillum & placido ſteterunt vada cœrula curſu,
Improviſa ſalus & non ſperata voluptas
Gaudia præcipitant matura ſilentia luctus,
Tum timor exuitur, tum plurima mortis imago
Vertitur in melius, ruit in præcordia plauſus
Lætior atque altum ſonitu perfringit olympum.
Belgica ſic etiam lento percuſſa duello
Primitùs & gelido tantùm turbata pavore
Delituit, ſylvas & ſicubi concava furtim
Luſtra frequentavit pro Libertate tuendâ,
Relligione duce & verâ Virtute magiſtrâ.
Mox Hiſpana ſuo qui dirigit arva Tyrannus
Imperio extremum miſeræ perſæpe minatus
Exitium, at longas produxit tempus in horas;
Intereà tamen horrendùm dum fulgurat ore
Eructans ſaniem atque irarum tædia mille,
Tormentorum ingens bellorumque aggerat omen
Et coquit igne novo paulatim dura laborum
Semina, quæ tacitus calidâ deſpumat ahenâ.
A cæde orditus tandem præclara virorum
Nomina pallentes tenebrarum miſit ad umbras.
Ac veluti Pharao furijs agitatus acerbis
Iſacidûm infenſus populo, ſervire coactis
Maſcula ſpem generis cunabula mergere juſsit,
Sed pia barbaricos ritus pertæſa propago

Poplite

Poplite ſucciduo triſtes & pectora palmis
Suppliciter tonſi cœli invariabile numen
Orarunt veniam, illorum miſeratus ab alto
Rex Regum emerita indignis modó membra cataſtis
Solvit, Erythræas Moyſe ductore per undas
Vexit, queîs Pharao multo tum milite merſus.
Idem omnes ſimul error agit qui ſanguine Mauro
Clareſcunt, Belgis dudum tot funera paſsis
Inſtant ſpem gentis proceres abolere nefando
Turbine bellorum, fucato murmure, ruptis
Fœderibus, quia priſca fides invictáque bello
Gloria conſpicuæ ſpreto virtutis amore
Horrendis infecta malis, datur irrita ventis.
Haud longum, ſummo credas ex æthere lapſum
Auraicum populi ductorem vindice Iova
Attentè Heſperijs oculos advertere technis:
Continuò quorum Fidei tum ſemina curæ
Hunc legêre ducem, bellorumque illius altam
Impoſuêre humeris molem, quò Belgica ducat
Agmina in Hiſpanas validè preſſura cohortes.
Protinus exequitur, quantum quis poſsiet alter,
Partes in bellum miſsi ducis, arma ſubactis
Suppeditat, victosq; facit conſurgere campo
Victores Belgas, quibus eſt Eccleſia cordi
Relligioq; olim Chriſto tot culta per annos
Sanctisque Iſacidûm Patribus magnisque Prophetis.
Naſſovij fratres Patrijs virtutibus orbem

Pacatum

Pacatum regerent Batavum, ſi Iuppiter illi
Tempora magnanimæ tribuiſſet ſera ſenectæ:
Hi tamen illuſtres famâ per prælia belli
Evadunt, patrijs incedunt paſſibus æquè.
Quin de Mauritio à partis ex hoſte trophæis
Vixdum credibilis mundi fama occupat aures:
De fratre ut ſpondent res altæ laudis & artis,
Non alius quiſquam Auraicâ de gente Batavos
In tantum ſpe tollet avos, non ulla viciſſim
Tantum ſe tellus unquam jactabit alumno.
Et dubitamus adhuc volucrem componere factis
Lætitiam, aut patriæ pro Libertate Catonem
Exuere & longo diſſolvere pectora luctu?
Intonſi montes voces ad ſydera jactant,
Orëades & Hamadryades facilesque Napæas
Et ſatyros Faunosque & libera rura voluptas
Panaque paſtoresque tenet lætosque colonos.
Magne pater ſuperum durent popularibus auris
Gaudia, noſtros & maneant ea fata nepotes
Ut poſſint verâ ſub Relligione morari
Et Libertatis pulchro ſub tegmine vitam
Ducere, nè rurſus Hiſpani Vejovis æſtum
Pontificumq; pati torturam ab origine diſcant:
Inſuper oppreſſis flammante Tyrannide Mauri
Succurre atque malis horum miteſce parumper,
Scilicet in denſis nimium latuêre tenebris,
Pulsâ nube polum ſpectent, meliora reportat

Multa dies variusq; labor mutabilis ævi.
Irriguis igitur ubertas fontibus orbem
Belgarum ſaturet, fidei nè divite venâ
Orbus agat verùm vitreis illimis in undis
Cum fructu tamen & multo cum fœnore, longè
Diſpar in eventu â terrâ quæ Narnia priſcum
Nomen habet, ſiquidem certò, mirabile dictu,
Illa aret quandò deſcendit plurimus imbri
Iuppiter, exundat contrà cùm ſyrius agros
Urit, cùm pecudes umbras & frigora captant.
Siccine Battaviam pulſo ſylveſcere cultu,
Ut pia Relligio nuſquam defenſa vagetur?
Non erit: in melius prodibunt imbribus imbres
Obnixè juncti, ſi vincant Nerea, fluctum
Pulverulenta coquet maturis ſolibus æſtas.

Ordines Hollandiæ nomine fœderatarum Provinciarum.

EST regio in terris, Catti tenuêre coloni,
Battavia, Oceanum juxtà, vicina Britannis
Qui penitus toto diviſi vertice mundi.
Terra nova & paucis etiamnum cognita ſæclis,
Dives opum, dives pictaï veſtis & auri,
Inclyta cuî pretio commercia, plurimus illi
In quæſtu eſt quæſtus, eſt fertilis ubere campus,
Uligo apta ſolo, maturis frugibus arbos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert
Ardenteîſque pedes in caſtra hoſtilia torquet
Improbus, atque imitans genus inſuperabile bello
Altores Batavos, ſtudijs queîs major & armis
Gens nulla eſt toto cœli quæ ſubjacet axe,
Quadrupedante pedum ſonitu quatit acer Iberos.
Hæc nobis regio terris magis omnibus una
Poſthabitâ in pretio eſt immenſi ambagine mundi,
Cumque hâc finitimâ latè ditione vagantes.
Scilicet hîc dudum divina potentia fixit
Arma viroſque omni terrarum climite lectos,
Qui rectè ſatagunt charis pro civibus omni
Hoſtiles arcere acies conamine, nuſquam
Tanta viris virtus animo, ſed copia fandi
Omnimoda & facilis magnæ facundia linguæ
Cuivis deficiat, ſi nomen dicere tentet
Battavici populi & multum regionis honorem,
Quæ nobis tanto ante alias dilecta favore.
Sic placitum, quoniam Batavo de ſanguine duci,
De cœlo tactæ ſolitæ prædicere quercus,
Inſignem populum ſtudijs belloque ſuperbum
Sedulus Hiſpanas olim qui verteret arces,
Et genus inviſum, Auraicis Ductoribus, æſtu
Religionis, amore Dei depelleret illinc,
Inferretque Deum Heſperiæ & diſcrimina culpæ
Priſtina jam dudum ſummis impoſta medullis
Funditùs erueret, nè poſthac cæca ſuperſint

Sæcula

Sæcula quæ mutis hominum pia corda figuris
Seducant, eheu vani mala ſchiſmata mundi!
Effigies divûm & fictos de marmore vultus,
Inciſas ligno facies cælatáque in auro
Numina quæ manuum ſunt cuncta arcana ſuarum,
Heu ſcelus infandum! prætextu Relligionis
Mirantur, laudant miſeri, venerantur, adorant.
Necdum etiam finis fraudis graviumq; malorum,
Horrendum cœlo vitium magis intonat, illud
Scilicet, illorum ſtygius quod corpora faſtus
Exagitet, ſæclisque malis pejora ſequantur.
Papa, malum, quo non aliud violentius ullum,
Ambitione viget, vires capit illicis auri
Delicijs, divûmq; ſibi conſciſcit honorem,
Rex Cæsárve fuat poſito procumbere genu
Cogitur, & pedibus papæ ferre oſcula ſupplex.
Illáne Relligio eſt olim tot culta per annos?
Imò temporibus penitus contraria priſcis.
Tunc fuit in terris Rabbi non hic magis illo
Æqua poteſtas, in Chriſto fiducia ſola,
Ille caput gregis & lapſi ſolamen ovilis:
Nunc verò primas Papa obtinet, & venit illi
Summus honos, Deus ille hominum vult ſanctus haberi,
Ille Dei vult eſſe vicarius, ille miniſter
Et caldæ & gelidæ, terris ille omnia ſolus,
Quippé aperit cunctis quibus eſt manus aurea cœlum,
Et bullas vendit quibus eſt argentea, contrà

Ferrea queîs manus eſt claudit cœleſtia regna.
Ergò interciſi magnâ mercede Iehovæ
Emeris auriculas, ab aceto melleus exis,
Dexter abis, ſtipata roſam veſtigia ducunt,
Ambroſioque tibi redolent tucceta ſapore,
Omniaque in lautis concedunt fercula menſis:
Si vel Romanos raptor populaveris agros
Incenſisq; adytis ſanctorum exceperis aurum
Improbus, aut hominem crudeli vulnere latro
Vel ſicâ vel offâ horrendùm extinxeris, actum
Omne vorant vitium bullæ, peccata remittunt,
Sic Sphingis permulta negotia papa faceſſit.
Pro pudor! ut barathro rediit malé-blanda relicto
Exitium terris Babylon, Romana ſubivit
Atria & infecit Latialia regna veneno.
Martia Roma fuit ceu veræ nobilitatis
Æmula ſupremi jam tum, cùm nulla Iehovæ
Gloria apud priſcos eſt decantata Quirites:
Nunc verò rutuba eſt Paphijs altaria caſtris
Sacra locans, propter quod paſſim nobilis audit.
Peſtem ingentem! hæc illa cluitne Eccleſia Chriſti,
Magni & ovile Dei? vah incrementa Gehennæ.
Roma ſile, pereant monachi, procul ab Ieſu ite
Papicolæ malé-raſa cohors, capiuntur ab eſcâ
Mortales veſtrâ, fluidis ut piſcis in undis
Ventri alimenta petens obducto fallitur hamo:
Veſtitu apparet pietas, ſunt cætera ſordes,

Ingenium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Ingenium tentare libet? nihil undique ſancti
Invenies, radix cunctorum infecta malorum
Luxuries, aurique ſitis, ſimul omnium orexis
Virtutum ut ſtomacho bilem commotet, in illis
Pullulat, hinc rapidi volvuntur more luporum
Prædantes animas hominum, quæ eſt unica meſſis
Sementis, quantùm coquit hanc milleſima cura.
Longè aliud Batavis ſtimulat præcordia, vera
Relligio in pretio eſt, cœlo delapſa ſupremo
Vera fides colitur ſtudij non indiga longi.
Belgarum in ſedes ubi cernitur unio Patrum,
Hæc eadem virtus eadem veſtigia torquet,
Nec certare odijs nec res rapuiſſe decorum eſt,
Auſi omnes tantùm pariter depoſcere frenos
Et collo mutare jugum, quò libera curis
Belgica floreſcat, ſecura tyrannide Mauri.
Hic locus inſignis famâ ſuper ardua cœli
Terraſque tractuſque maris durabit in annos
Tercentum, & Regnum crudeli â ſede Tyrannûm
Cedens Heſperidum multâ ditione tenebit
Gente ſub Auraicâ & certâ ſtatione locabit,
Bæticolis jam tum latè dominabitur oris:
Fortuna indicium eſt quid multâ æſtate futura
Sors ferat, & Deus en populi deſcendit in auſa.
Quò magis immundum magni Titanis ocellus
Irradiat mundum, tantò magis emicat ardens
Belgica perpetuis victorum cincta quadrigis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Quò magis approperat devexo veſpera cœlo,
Hoc magis ex Erebi fundis exæſtuat imis
Vena in perniciem Maurorum & Iberica regna,
Italiamque papamq́ genus ſuperabile bello,
Sed ſcelerum fœdis genus inſuperabile formis.

Mauritius Comes de Naſſau.

SI cum pace tuâ atque optato numine ductor
Belgarum merui Maurorum frangere dextras
Antitheiq́ aſtus duris evertere bellis
Chriſte potens, eademq́ ſedet ſententia menti
Fixa fidem Belgis demiſſam cœlitùs eſſe
Perpetuam, noſtras & necdum deſpicis arces:
Advenio ſupplex, non ut ſit libera tandem
Battavia, aut vigeat nullis Zelandia Iberis
Concita & eximijs floreſcat Friſia cœptis.
Hoc nobis, hoc ante datum, nunc Flandria porrò
Obnixè exoro faciat Miſſam enthea miſſam,
Et miſerere tuæ gentis nè tota tenebris
Obruta te ſeris veneretur cultibus, umbrâ
Iam fruitur puram miſeræ da cernere lucem.
Ecce aliud, lugens tremulæ Brabantia prolis
Vulnera te medicum jam dudum in vota vocavit,
Exaudi vocem clemens tam juſta precantis.
Geldriaq́ exutas nodis ad ſydera palmas
Tendit, ut antiquo quæ pars ſubjecta Tyranno

Tangat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Tangat ovans altum ſublato vertice cœlum.
Totaque firmato necdum ſub fœdere tracta
Belgica ſubſidium mœſtis implorat amicis,
Adſis ô placidusque juves, compage revinctos
Solve tuos populos & ſtupea vincula ſolve
Vincula Bæticolo nimium perfuſa veneno.
Hiſpanum domitura manus promiſſa trophæis
Inclyta ſpectetur, cauſæ non roboris uſu,
Impolluta fides lapſam inſtauraſſe ſalutem
Te ſolum affirmans, quod jam implorare queamus,
Supponat dudum idolis ingloria Mauri
Pectora, ut obliquo penitus deſueta furore
Non ſervile humeris diſcant ſed amabile pacis
Ferre jugum, & poſitis vitam diſcordibus armis
Felices peragant: oro pro gente ſuperbâ
Hoſtilem exuti conatum ut fœderis icti
Unanimes ſocij exiſtant pro Relligione,
Nè latè domini bellatoresque ſeveri
Pro ſtyge perpetuent Turcæ victoria ferre ric
Agmina, ſed noſtras timeant pharetrata ſecures.
Nam licet invidiâ fidei monumenta libellis
Infeſtent telis eademque evertere tentent
Aſsiduò, ſemperq; odijs ad prælia vires
Intendant Belgis ſupremaq; fata minentur
Hiſpani, & ſævis in nos dominentur habenis:
Me tamen urit amor multo immutare labore
In vitium horrendè qui ducunt tempora mores,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Non hominum violare genus, quod ſolius eſſe
Numinis æterno cui res hominumq; Deumq;
Imperio parent præciſè Chriſte docemur,
Chriſte Deus, cum patre Deus, cum flamine ſancto,
Imperium queis unum, qui tres unus & idem.
Scilicet immotos ſi ſemper traxerit error
In vetitum Hiſpanos, quanquam non præmia factis
Digna per humanas tulerint in tempore vires,
Non tamen hoc impunè ferent, injuria pœnam
Poſtulat & juſtis inhiat Rhamnuſia noxæ
Supplicijs: veniet, fraudes quæ vindicet omnes,
Vna dies belliq; induta & pacis amictu.
Ergò agedum Mauri, crudelis turba, papatum
Exuite ac veris veſtra æra merete ſagittis,
Pectus in infidos Turcas obvertite tantùm,
Non fidei famulis inſiſtite dira minari:
In veſtrum facinus terrarum machina, marmor
Æquoris & totus querulo ore remugit olympus:
Tempus adeſt, pia Relligio vos undique crudos
Illinit, excipite hæc poſitis unguenta vetuſtis
Vulneribus, neque cum Phrygibus reſipiſcite ſerò.
Tum demum hoſtili pulſato Marte nepotes
Pacati vivent, etiam felicibus æquè
Creſcent auſpicijs Belgæque & magna minorque
Heſperia, Albiones, Galli penitusq; repoſti
Herculeâ ſub Calpe viri, velut aſtra ſereno
Scintillant cælo, Europæ ſic fama micabit.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Quòd ſi ferrea mens furiarum tincta veneno
Inſiſtat firmè ſtygij veſtigia Ditis,
Impreſſumque nefas foveat monſtroſa, nec ullum
Forté modum ſævo tandem ſciat addere ferro,
Vindicias patrias Libertatemq; ſepulchro
Eruere eſt animus fœdans extrema cruore
Sæcula, ſic cogor, poſcit lux prælia præſens,
Vidimus excidium Trojæ vaſtataq; latè
Pergama, dejectas altæ Carthaginis arces,
Bellaque in Emathijs pluſquàm civilia campis,
Ultima nunc armis teritur crudelibus ætas.

Henricus-Fredericus Comes de Naſſau.

ET me ſanguineos patriæ virtutis imago
Excitat in Mauros, irarum exinde favillas
Elicit ingenuum pectus quòd turpiter ille,
Ille mihi pater Auraicus defenſor Iövæ
Entheus & fidei rebus tutamen in arctis
Belgarumq; unus qui murus aheneus, aſtu
Perfidiæ glandis radios in viſcera ſenſit.
O dirum Heſperiæ magnæ feræq; Tyrannum,
Crudelem nobis Parmenſem! cruda nefandi
Qui peperêre feretri exordia; præfica leſſum
De more exequitur, licet adſint ultima nondum
Tempora, & ante diem prætextam Belgica bullam

Induitur

Induitur lugens diVulſi funera Patris
Auraici, Patriæ tutoris, oVilia Chriſti
Qui pius aſſeruit dudum Victricibus armis.
Quæritur ergó mali quò cauſa obrepſit? adeſdum,
Diſce irarum animis ſtimuli ſint unde, doceris,
Non apud Antipodas inVeſtiganda pericli
Materia, aut alios toto longè orbe remotos,
In promptu ratio juſtis obtenditur armis.
Oſtendunt nobis diVini oracula Verbi
Quòd pia Relligio ſylVarum incluſa latebris
ViVere cogatur multis abſcondita luſtris.
Tempus adimpletum eſt, ſperata ſcientia duras
Ergò aperit mentes, quamVis inſaniat omnis
Ejus in exitium mundus dat Belgica dextras,
Exuit opprobrium medij famoſa Vetuſtas
Temporis, & greſſu regali rité coruſcans
Relligio incedit priſcorum tramite patrum,
Et ſpelæa feris habitata Dracone ſoporo
Deſerit, excellens ſylVas dumetaq; ſpiſſis
Obſita culminibus flagrantia ſydera pulſat.
Cùm per BattaVicos latè ſpatiata colonos
Tenderet ulterius, diVini numinis auræ
Particulam, ætherios hauſtus ipſumq; ſupernè
Conſilium cœleſte dedit mortalibus ægris,
Scilicet ante abitum in ſylVas hæc Venit ab alto
Æthere cognati hinc moderatur ſemina cœli.
Tum demum certare odijs incœpit Iberus

Obliquâ invidiâ infenſus, Phlegetontis ab undis
Potus ad imperium majus ſpiravit, abundé
Toto errans cœlo paparum murmure falſus,
Nam poſitis ante ora fame cruciatur opimis
Delicijs, inſtat capiti lapſuraque ſemper
Atra ſilex, radijs diſtrictus membra rotarum
Pendet hians, volvitque atrox revolubile ſaxum;
Non metuit ſævum pœnis Acheronta, ſeverum
Amnem Cocyti, Lethes deletile flumen,
Vulturios morſus, Erebum, ſtygiamque paludem,
Dij cujus jurare timent & fallere numen.
Nec tantum certare odijs irâque paratus,
Grandius ille nefas exorſus, maxima cœli
Munera publicitùs proſcripſit, nè ulla ſuperſint
Illorum Belgis poſthac veſtigia, verùm
Nos genus indocile atque infectum vulnere papæ
Compoſuit, medicosq; dedit regnator olympi,
In flamam vertit fidei noſtræq; favillas,
Quò magis hinc tegitur tantò magis æſtuat ignis.
Ergò iterum inſidias noviter ſcelerata Tyrannis
Bætica per varias in ſomno excogitat artes,
Quas ſedes Romana ſacratâ proluit undâ.
Prodit, in exitium prodit fideiq; hominumq;
Crinita Harpyis dira Inquiſitio Mauri:
Illa, malum crudum, ſævâ viget arte nocendi,
Expandit latè caſſes per regna per urbes,
Huîc pater ambitio, hanc peperit diſcordia mater:

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cuî corpore crines
Quot ſunt, ſunt oculi totidem diro igne coruſci,
Tot pedibus currit, totidem pinnataq; geſtat
Brachia & in torvâ totidem fert cornua fronte,
Nocte diéque volat medium bacchata per orbem,
Sanguinis humani fluvio ſua lumina gaudet
Paſcere & exuvias optat rapuiſſe cruentas.
Hæc tum ſanguineo Belgas fervore premebat.
Extemplò turbata pavore obmutuit omnis
Belgica in exitium cernens populi arma parari:
Principibus tutela rei mandatur, ut æquam
Defendant bello cauſam, fideiq; Tyrannis
Obſiſtant patriæ pro Libertate ruentes,
Hæc ſunt Belgiaci primordia ſumma duelli.
Latius interdum ſerpſit contagio, bella
Acria jam dudum ſunt geſta medullitus omnes
Per terras ubi plebs unita ſedilia fixit:
Intereà tamen inſubidis quaſi retia brutis
Tendant, ementita fovent faſtigia Mauri
Prætextu pacis properi nos vincere, victos
Fallere, ſed falſos ſubjectis urere flammis;
Sæpe hoc incautis evenit, plurimus horror
Perfidiæ in promptu eſt, ſubit ipſa Parentis imago
Auraici infandùm trucidati, permanet idem
Dirus Ibero animus, nunquam pax vera triumphum
Ducet, at inſidijs & vires fraudibus armans
Impia quaſſatis Mars condet bella ſagittis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Rex Galliarum.

Vos non finitimo remorabitur obvia bello
Gallia Naſſovij fratres, jacet undique aperta
Terra potens veſtris & non incommoda rebus.
Adventate viri famæ majoris amore
Ducti, Relligio quibus eſt tutela, quibuſque
Libertas Patriæ toties defenſa favorem
Multorum peperit: noſtro ſuccedite regno
Dum lubet, ut priſcos firmè teſtemur honores
Et meritis Patrijs vires æquemus, adeſte.
En veſtris ſtatio ratibus bené-fida Monachus,
Non oberit ſaxis ſcopuliſque Druentia fallax,
Quæ vada mendaci ſiſtit currentia fluctu
Et torquet ſpumam atque æſtum, queîs navita ponto
Mergitur ut poſitis facta indulgentia frenis:
Haud ita, ſed ſparſas hæc colliget ordine ripas,
Et pacata frequens Druna porriget oſtia, pandos
Quin Arelate ſuos duplices dabit hoſpita portus.
Tuta via eſt nullis calcata latronibus, apto
Sydere mota, omnis procul hinc eſt Nacca profanus,
Exilium patitur, pax eſt ceu cætera nuſquam
Pax foret, ad tempus Mars eſt relegatus ad Indos
Et glaciale fretum. Pavidos exuta timores
Pectora! non hominum jugulis placatur iniqua
Ara Deûm, fuit illa olim prædura nocendi
Sævitia, at dudum regnis exceſſit avitis.

 Sanguinolenta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Sanguinolenta manus inſontes cædere ſueta
Divino auxilio nobis exaruit, Heſus
Horridus Hiſpanæ vel ter tria pocula Lethes
Ebibit, hunc leti vaſto bibit æquore vortex:
Theutates etiam multùm implacabilis, atri
Sanguinis & ſitiens, ſævi Buſiridis aris
Sævior, inferni manantem è rupibus amnem
In ſtyga delapſus gelidi propter juga Pindi.
Et Taranis auxit rigidis altaria ſacris,
Taurica non adeò crudelia ubi advena quiſque
Fœmineis dextris Trivium cadit ante ſacellum,
Ille etiam tandem nigri Phlegetontis ad undas
Deſcendit. Stygijs igitur jam libera divis
Gallia, non ſtricto Bardus mucrone ſacerdos
Stat ferus ante fores, poſuit ſed barbara morem
Turba malum, falſi Druidæ ritusque ſiniſtros,
Vana ſuperſtitio conceſſit credulus error
In diverſa animas ſenſim migrare renatas
Corpora, ceu Samij tradunt præcepta magiſtri.
Credo equidem, nec falſa fides, quòd talis Iberis
Relligio eſt, rigor hinc belli tam Martius illis
Semper ineſt, quem non queat inclementia fati
Eruere; & feritas nullis merſabilis undis;
Nativumque decus quod gignunt perfida facta
Heredum de more tenent pro rure paterno,
Nutricisque bibunt illud cum lacte puelli.
Ergò igitur ſtygijs jam libera Gallia divis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Servitium ſervit domino cuî cœrula ponti
Æquora, cuî terræ parent campiq; latentes,
Sedes Eumenidum & qui ſydera vincit olympus.
Imò erit ille mihi ſemper Deus, illius aram
Cottidiè implebo precibus, non imbuet agnus
Agnus de teneris ſurreptus ovilibus: Agnus
Imbuit humani generis ſarcire reatum
Sedulus irarum divini Numinis aram:
Ille Deus, Deus ille Agnus ſine crimine purus
Non animam erubuit lapsâ pro gente paciſci.
Una ſalus mihi per Chriſtum ſperare ſalutem,
Non aliena moror, neque enim pejora revelo
Humani benefacta animi, quæ maxima ſordent.
O miſeri Heſperij! putrium queîs corde ſiniſtro
Cura Deûm propriæ quæ pernicioſa ſaluti:
Fœdera percuſsi vobis indigna, meretis
Bellum ingens veræ per Relligionis abuſum.
Sic reor, at quotiens parvæ faſtigia gentis
Proſpicio & ſortis macræ fortisque rotatum
Longè aliud volvo, quia tum mihi cura gravamen
Nulla, modò patriæ lapſam inſtaurare quietem
Sufficiam, hoc autem ſibi poſcit tempora pacis:
Hinc etiam infeſtus fidei populator abactor
Publicitusque gregis pharetratus Turca perenne
Fœdus habet, fœdusq; ictum per utrosque manebit
Hi niſi fœdifragi temerando rumpere tentent,
Si faciant, maria ac terras cœlumq; movebo

Belligerans,

Belligerans, Acheronque novis perterritus armis
Verba ſibyllinis olim conſcripta lituris
Ante Dei adventum effectum ſortita putabit.
Tempus erit tum, cùm Romanæ gloria gentis
Concidet, ut cernam floreſcere lilia Gallo;
Pòſt ego vel alius regni ſucceſſor aviti
Sydera, Dictinnam, Solem: ſtygiumq; Draconem:
Victricesque aquilas dudum ſub Cæſare multo
Transferet & proprium torquebit ſceptra per orbem.

Regina Angliæ.

IMMITEM *vidit Cepheſias ora Procuſten,*
Vidit Cercyonis mores Cerealis Eleuſis,
Graſſantem latè Maurum non Belgica ſola,
Galliáve, at rapidis dextris in viſcera ſenſit
Anglia, Cercyonem ſic vincit & ille Procuſten
Ritè latrociniјs longùm famoſus Iberus:
Scilicet & crudum ſcit Portugallia faſtum,
Quæque ſub Oceani finem primoque moratur
Sole per extremum quæ cingitur India Gangen.
Poſtquàm docta fidem Domini omnipotentis Eliſa,
Soli jura mihi ſumpſi communia regni
Secreta â Mauro, paribusque in legibus unà
Belgarum procerum me æterna in fœdera miſi,
Reſtituit dextro jam tum me gloria fato.
Invidiæ ſtimulis mox pungitur acer Iberus,

Spemque

Spemq́ metumq́ue inter dubius irasq́ minasq́
Eructat, ſpondens ſe acturum plurima dictu
Horrida, ni fati confeſtim jure repulſa
Servitij antiquo ſtudeam me includere ludo.
Longè aliter ceſsit, nil in mea Curio demens
Iuris habet, ſævum dudum occuluiſſe venenum
Nil prodeſt, lætos manibus prætendere ramos
Novimus, hinc manifeſta fides tectæq́ pateſcunt
Inſidiæ, belli tumulus ſuper æquora vectus
Heſperij exitio dextris conceſsit olivam.
Non mihi crede meo, ſub tegmine fraudis, emetnr
Pax probroſa malo, cœptarum in gaudia rerum
Vivere conſultum magis eſt cum marte cruento,
Quàm mea turpé tuis committere colla lupatis
Trux Hiſpane, licet mihi montes inſuper aureos
Promittas, quia res animos incognita turbat,
Imò cognita res toties fruſtrata retexit
Fel ſub melle latens, ut vidi talia, nunquam
Bæticolis volui ſervitum matribus ire.
Nam cùm parta quies & ſummum nacta cacumen
Imperij, intravit privatum gloria portum,
Et contenta ſuis viguit pacatior una
Limitibus, quam non rapiet ſub nube vetuſtas.
Phœbe pater vatum vosq́ ô Parnaſsia rupes
Queîs ſtudio Aönides ſeriem mihi pandite rerum
unde ſiet? quâ ſorte datum? gemini quòd honores
Auraicis cedant geminis? quo numine divûm?

Ambo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Ambo pares animis, armis præſtantibus ambo,
Mauritij acta probant, quod ſpes fore deſtinat illum.
Cuî roſa prima genas nondum juvenilis opacat:
At parte ex aliâ fatis contraria Mauri
Cœpta per errores concedunt irrita ventis?
Nimirum promiſſa fides quæ venit ab aſtris,
Relligio, felix Libertas, unio concors,
His ſuperare datum eſt ſitientes ſanguinem Iberos
Mauritio pietate gravi, præſtantior alter
Quo vix in terris genio, nec promptior armis.
Succumbit ſcelere ante alios immanior omnes
Maurus atrox, nimium quoniam genialiter illi
Proruit admiſſo levis indulgentia freno,
Regna hominum affectat, ſuperumq; deinde minatur
In cœlum, nunc diſce precor quæ pœna ſequatur
Faſtum qui bello cœlis examina ducit,
Exequor, ut videat Babylon Romana ruinam.
Poſtquàm ergò ætatum vertigine deſijt aurum,
Deſijt argentum, tandem quoque ahenea proles
Ceſsit, at â ferro ſortita eſt ultima nomen,
Hæc fera progenies virtutem exſcindere tentat
Et ſuper ætherias plantare licentius auras
Omne nefas vitium fraudesq; doloſque laborat.
Ergò omnis longo ſolvit ſe machina luctu
Machina terrarum venæ pejoris ob ævum,
Nec longum in medio tempus, quin invida cœlo
Terra parens natos aliter in pace futuros

Sollicitat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Sollicitat, ſuadetque armis perfringere olympum:
Haud ſecus ac juſsi faciunt, primumque Tiphœum
Affectaſſe ferunt ſolium cœleſte, tridentem
Enceladum, & reliquos aliud contendere bello,
Sortitique vices regni mixtim undique circum
Funduntur, ſtructis altèq; ad ſydera cœli
Montibus extemplò nigræ attolluntur arenæ.
Iuppiter æternis qui terram æquorque polumq;
Imperijs regit horrenda illicó disjicit auſa
Fulmine, compoſitos diſturbans ordine montes
Armaq; in autores torſit, nam mole Gigantes
Quisq; ſuâ incluſi condignâ morte piarunt
Infandum ſcelus, exuti præcordia faſtu.
Hæc eadem impietas Maurorum, immania quippé
Monſtra cient, quibus illi auſi tentare ſuperbis
Virtutemque Deumque & cœlum illudere cœptis,
Hinc etiam meriti tales expendere pœnas.
Credo equidem, veniet luſtris labentibus ætas,
Quâ tandem exolvent commiſſa piacula Mauri.

AD DEVM OPT. MAX.
pro verâ Religione & ejus defenſoribus.

OMNIPOTENS *genitor, terræ cœliq; monarcha,*
Principium æternum, finis ſine fine gubernans,
Chriſte ſalus & vita reis, tibi gratia ſoli,

Gloria & immundi libertas debita mundi.
O ſtupidos! quorum malé-facta redarguit error
Atheus, in ſeſe qui ſunt ſperare ſalutem
Auſi immane nefas, propriæ virtutis aſylo
Obcæcant meritum divini Numinis, auram
Clementem Patris offenſi quæ diluit iram.
Tantáne vos vitæ tenuit fiducia veſtræ
Raſa cohors, veſana cohors atrocibus eheu
Ut ſatis in pœnis ſontes hærere queatis,
Et cœlum obliquâ vobis pietate mereri?
Non labor aut benefacta juvant, quia corpore noſtro
Debemur toti virtutibus, arduus æther
Naturam inculcat, mandata capeſcere fas eſt,
Didimur â vetito, parendum, proſilit una
Gratia, nil meruit noſtra inconſtantia, noxæ
Proxima ſupplicio digna eſt, ergò expedit omnem
Ducere pro nihilo curtoque triente liceri.
Quippé fidem docti meliorem vera ſubimus
Supremi mandata Dei, queîs copia vitæ
Surgit ab inſontis pœnâ: myrmecia centum
Nugarum humanis myſteria condita juſsis
Hic ſcopus eſt vobis, veſter labor irritus exit,
Incaſſum amentes agitat dementia mentes
Nequicquam in melius poſitas, mutate profanos
Mores qui noctu variantur mille figuris,
Sin vultis, cerebrum miſcete & in hepate bilis
Ferveat, at metuo rumpantur ut ilia; verùm

Audi qui vigilas priſcorum oracula vatum.
Ecce pater ſanctus metuenſque ſororcula divûm
Conveniunt ſtratóque ſuper diſcumbitur oſtro,
Crateras magnos ſtatuunt & vina coronant,
Luxuriæque gulæque vacant, Veneriſq; choreas
Impleti veteris Bacchi longo ordine ducunt,
Sopitæ dapibus largis potæque ſorores
Et vento gravidæ tandem, mirabile viſu,
Inter ſe generis curant ſarcire ruinas.
Ut puer in lucem prodit, frontem atque labella
Impurus Monachus luſtralibus ecce ſalivis
Expiat, horrendum dictu, Cacodemona pellit,
Dum Pythagorico bis ductu tempora ſignat.
Hinc meritis fidens proprijs & parjete picto,
Excipit incautus commiſſa piacula & arcet
Nummorum accenſus ſtimulis ſonteſque relegat
Impius ut fœdis dent oſsibus oſcula, Miſſam
Pro Cænâ celebrent, annos & tempora ſervent
Veſcendi & falsâ ſub relligione palatum
Lautitijs ſaturent, quæ ſunt jejunia, verùm
Auri ſacra fames carnes indulget & ova,
Pontifici hæc largis cluit indulgentia bullis.
Imò aliud reſtat quandò ultima linea vitæ
Imminet, & ſeris Atropos cum falce ſeverâ
Excubat in thalamis, tum rurſus cura peculi
Papam agitat, totum quæ bellua devoret orbem:
Sal ſummo in pretio eſt oleumque & cera, cadaver

 Ungitur

Vngitur, ut modicis pœnis mereatur olympum
Dæmonis adverſum technas munitum & ab igni
Purgatum ætnæo, Cyclopum ubi patria ſedes:
Tum demum exemptæ violenti faucibus orci
Mortales animæ quarum delicta nocendo
Exuperant benefacta, pecunia talia penſat.
Mendax turba quid hoc? ſic tendit in ultima mundi
Fama per errorum nebulas tranſvecta? quid? inquam,
Nomine fictitio gaudetis, Numine falſo,
Mentito ſolio, fucatâ Relligione?
Vera fides jubet ignitas laſſare pharetras,
Quinimó difficile eſt non ſcribere, quis teneat ſe?
Ferreus ille ſiet qui vitam perferat atram.
Dum tamen hoc opis eſt alienæ, plurima fandi
Copia cuî Muſis conceſſum & Apolline dextro,
A cœpto abſiſto. Verùm te maxime rerum
Arbiter imploro, rabidæ convicia turbæ
Siſte, nec ad lubitum quæſo permitte morari
In mortem cæcos, ſed vivo lumine mentes
Illuſtra (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Vt cœli in patriam tandem promiſſaq; regna
Scandant, humanos cùm liquit ſpiritus artus.
Quòd ſi dura ſilex ſuper hos lapſura, nec ullus
Iam precibus ſupereſt locus, aſt Eccleſia tutam
Fac tua traducat vitam, fac unio ſervet
Belgarum Proceres in Libertate tuendâ
vnanimes: quorum tutelæ credita res eſt

Ordinibus

Ordinibus ſummis fidei tutoribus æquo
Imperio regere & juſtis da vincere bellis,
Vt patriæ noſtræ Patres ex jure vocentur.
Præterea Batavam ſemper concordia terram
Dirigat, & natam felici ſydere firmet
Succeſſu fauſto, præſens fortuna labori
Mattiacûm faveat, Friſijs ſit fauſta colonis,
Geldriacos unita latres Vtricia ſervet
Iura fides, aliosq; uno ſub fœdere junctos
Defendat, nè Maurus atrox equitemq; gravatus
Aſtur equus rurſus illis exultet in agris.
Servitio enixè tulerunt faſtidia Martis,
Oſcine nunc albo ducti victricia ferre
Signa diu norunt, ignotis exulat oris
Seditio, pacis viget inviolabile pignus:
Quod nè turbida vis nebuloſi diruat auſtri
Mauritius curat Princeps virtutis avitæ
Defenſor, cujus verè ter maxima virtus
Purgatam crebrò mundi jam perſonat aurem,
Summe Deus vincat porrò noſtrosque tuosque
Communes hoſtes, adſit Bellona flagello,
Sitq; Galeriti divi illi adamantinus Harpe &
Ægis Amaltheæ tergo confecta capellæ,
Bæticolûm ut vertat validas in viſcera vires,
Atque triumphatæ magnum in penetrale paleſtræ
Mavortis victor cæſis inſignis Iberis,
Incedat niveis veterum de more caballis,

Vt tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278

Ut tandem in lætâ vivamus pace, ſuëti
Non impacatos â tergo Horreſcere Mauros,
Tum dignâ virtute cluat, tum maximus is ſit
Unus qui nobis vincendo reſtituat rem.
Præterea Henrici-Frederici aſcendat in orbem
Gloria, magnanimi hic lambit veſtigia fratris
Illuſtris Princeps, pueri quòd prima poteſtas
Poſſe recuſabat ſtimulis virtutis in altum
Erigitur patrio motu, civilibus æquâ
Infert in causâ ſeſe immerſabilis undis.
Cedite Scipiadæ, geminos duo fulmina belli
Auraicos cladem Heſperiæ columenq́ ſuorum
Belgica habet, noſtris veſtros ſubmittite faſces.
Gallus item vivat, vincat, qui ſemper in arma
Martis amore potens rabuit pro Relligione,
Albionesq́ue fidem prompti defendere, & omnes
Eximij Proceres quos muſa obſcura recondit.
His ducibus, rigido diri certamine Martis
Hactenus erepta & tutis abſcondita luſtris
Relligio, in lucem prodibit vindice dextrâ,
Dummodó ſit veſtri clementior aura favoris,
Tunc numen nomenq́ tuum laudesq́ manebunt
Magne Deus, gliſcet longùm volventibus annis
Gloria nobilior nullum moritura ſub ævum,
Illam perpetuis celebrabunt ſæcula faſtis.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 278